



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Sectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Ab hac sententia discedunt Abbas & multi alij in dict. cap. 1. de iudiciis: & nonnulla obiciunt, quæ mihi difficultatem non faciunt. Illud solū videtur difficile in dicta sententia, quod ex vi illorum verborum non prohibetur alicui vt se separet à communione aliorum, sed solum alijs præcipitur vt ipsi non communicent: hoc autem non satis est ad censuram inferendam: quia hæc debet quasi inesse ei in quem fertur, & per se primo in illo ponere prohibitionem: ergo illa verba per se non sufficiunt ad imprimendam censuram: sed solum imponunt alijs quoddam præceptum. Sicut etiā prohibetur interdum fidelibus ne communicent cum infidelibus non baptizatis: quamuis illos non communicet Ecclesia, nec possit: Sæpe etiam præcipitur alicui vt abstineat à societate, vel amicitia alterius, quamuis alteri directe ac per se nulla prohibitio imponatur.

Hæc vero rationes probant quidem illa verba, per se ac nude sumpta, neque apta esse ad excommunicationem aliquem, neque in omni rigore, & proprietate hunc effectum satis indicare: nihilominus tamen, si considerentur vt sunt in vsu Ecclesiæ, & cum circumstantiis quibus proferri solent, videntur præceptum sufficere ad dictum effectum. Nam in primis supponitur alijs fidelibus non prohiberi communicationem cum alio fidei solam propter ipsos vt vident aliquod periculum, vt sit in exemplis adductis, sed præcipue propter alium vt puniatur, quod facile constabit ex eo, quod in quæstione supponitur, scilicet hæc verba proferri per modum sententia punientis talem personam. Deinde, nunquam consuevit Ecclesia prohibere fidelibus generaliter communicationem vnus cum alio, nisi eandem multo magis illi prohibendo, & quasi indignum constituendo aut declarando ad talem communicationem: prohibet ergo communicationem quasi correlationem quandam ex parte vtriusque extremi. Vnde, licet vtrumque non exprimat, in vno aliud subintelligit. Sicut cum Christus dixit Matth. 18. Sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: alijs videtur directe interdiceret communicationem: indicat tamen conditionem seu rationem ex parte alterius. Ita ergo intelligendum est in prædictis verbis. Quare præceptum loquendo, vix potest esse dubium de his verbis, præsertim, cum semper aliqua alia adiungantur, quæ dubitationem excludunt: quod, vt diximus, semper debent iudices præ oculis habere.

De accidentali forma excommunicationis ab homine.

Præter hæc, quæ ad substantiam huius formæ pertinent, aliqua solennitates ex instituto Ecclesiæ requiruntur, quæ ad valorem censuræ necessariæ non sunt: & ideo non dicuntur esse de substantia, sed ad accidentalem solennitatem pertinere. Hæc autem circumstantiæ quædam sunt pertinentes ad communem rationem censuræ, seu sententiæ per quam censura fertur, quæ saltem sunt de præcepto: & ita præscribuntur in capite primo, de Sentent. excomm. in sexto, & à nobis superius expositæ sunt disput. tertia, sect. decima tertia. Et illæ omnes sine dubio maxime requiruntur in hac censura excommunicationis, vt ex prædicto textu constat, & quia omnes rationes illius institutionis in hac sententia maxime locum habent. Aliæ vero ceremoniæ specialiter adiungi solent in præsentī, quæ nec de substantia sunt, nec de præcepto, sed ad terrorem, & ad significandum miserum statum excommunicati, addi consueuerunt iuxta c. Debet, 11. quæstione tertia, vbi dicitur in huiusmodi sententia ferenda duodecim sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere easq; in conclusione excommunicationis proferre in terram, & conculcare pedibus. Et solet etiam tunc campana pulsari, quamuis in illo textu hæc solennitas taceatur.

Fr. Suarez tom. 5.

Refertur Glossa in cap. 2. de Re iudicata in sexto. cum Summus Pontifex per se ipsum excommunicat aliquem, hanc solennitatem seruare adhibitis duodecim Episcopis, &c. & insinuat in cap. Guilielmus, 23. q. 4. ibi, Cum Episcopi quos congregare potuit, &c. Alij vero Prælati inferiores Episcopis non solent, vel debent hac solennitate vtī, vt notauit Glossa in cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, de Elect. & D. Bonauent. in 4. d. 18. artic. 1. quæstio. 3. ad penultimum. Et sumitur ex dict. cap. Debet, vbi dicitur: Duodecim sacerdotes Episcopum circumstare debent, &c. Et ratio est, quia huiusmodi solennitas non frequenter, sed raro, & in grauissimis causis adhibenda est. Et ideo soli principes Ecclesiæ illa vtuntur, ad quos huiusmodi grauissimæ causæ spectant. Et probabile est, tunc maxime excommunicationem anathematis nomine appellatam olim fuisse, quando cum hac solennitate fiebat. Quoniam sæpe solet vox anathematis, pro quacunque excommunicatione maiori sumi, vt latius tractat Nauarrus in Extrauag. Ab ipso, seu Commentario de datis, & acceptis, 4. & 5. notab. num. 10. Iam vero fere illa solennitas non est in vsu: quanquam solet in solenni promulgatione, seu denunciatione sententiæ excommunicationis aliquis Ecclesiæ minister accensam lucernam manu tenere, & in fine extinguere, ac tintinnabulum pulsare: quod non solum in sententijs Episcoporum, sed quorumcunque prælatorum fieri potest, & solet. In qua re, sicut in alijs huiusmodi consuetudo vniuersi usq; Ecclesiæ seruanda est. Et plura de hac re legi possunt apud modernos auctores præsertim Felicianum in Enchirid. de Censur. cap. 18.

DISPUTATIO XIX.

De Absolutione ab excommunicatione.



EXPLICATO excommunicationis maioris vinculo in communi, priusquam ad particularia descendamus, necesse est dicere de modo dissoluedi tale vinculum, vt ita communis hæc doctrina perfecta, & absoluta sit, sicut tractando de Censuris, disputatione 7. & vltima fecimus. Ex qua fere omnia, quæ hic prolixè tractati solent, petenda sunt. Et ideo breuius hoc loco materiam hanc expediemus, insinuando quomodo ibi dicta hic applicanda sint, & si quid vltra proprium fuerit addendo.

SECTIO I.

Vtrum Excommunicatio per solam absolutionem possit auferri.



Supponimus primo sermonem esse de excommunicatione valida re ipsa, & de quâ excommunicatione sit sermo. Non sola existimatione: nam si excommunicatio sit nulla, licet vera reputetur, per solam declarationem nullitatis eius auferetur, vel potius nunquam fuisse intelligitur. Quod autem excommunicatio fuerit iniusta, si valida fuit, non obstat quominus sub hac disputationem cadat: potest enim etiam illa esse materia, vt sic dicam, absolutionis: nam, cum vere insit (hoc enim est esse validam) vt in posterum non insit, per absolutionem tollenda erit.

Secundo supponendum est excommunicationem semper auferri posse: non est enim perpetua, & quantum

per potest
auferri

quando quidem ob contumaciam fertur; & ablata contumacia, illa etiam auferenda est secundum iura in cap. *Qua fronte*, de Appellationib. &c. Ex literis, de Constitut. Propter quod, non solum perpetua esse non potest excommunicatio, verum etiam neque ad certum tempus definita ferri, vt scilicet in eo omnino durer: nam hoc repugnaret dictis iuribus: quando enim poena sic fertur, quidquid reus faciat, non liberatur, neque iure ordinario liberandus est à tali poena: at vero excommunicatus quocumque tempore satisfactionem exhibeat, absoluedus est, iuxta prædicta iura: neque potest impediri, aut interdici quominus, quam primum possit, aut velit, satisfactionem exhibeat, vt per se notum est, si ergo non potest excommunicatio pro certo tempore ferri, multo minus perpetuo: ergo, quoties infertur, auferri potest, quantum est ex se. Solent autem aliqui interdum excommunicationem perpetuam censuram vocare; quod tamen permissiue, & sub conditione, non positue & absolute intelligendum est: potest enim illa censura esse perpetua, si excommunicatus in sua voluntate perpetuo sit pertinax, adeo vt etiam post mortem quodammodo durare possit, iuxta superius dicta: non est tamen perpetua ex intentione, aut ex præscripto legis: sicut medicina non applicatur vt perpetuus sit eius usus, sed vt recuperata sanitate, cesset.

Quo sensu
excommu-
nicatio per-
petua dica-
tur.

Excommunicatio non auferitur eo ipso quod excommunicatus à contumacia recedit.

Tertio suppono excommunicationem non auferri ipso iure, seu facto ob mutationem solam seu operationem quamcumque ipsius excommunicati. Quæ assertio, licet non ab omnibus recipiatur, mihi tamē videtur pro materiæ capacitate certa, & in iure expresse contenta. Nam, si quæ esset conditio aut opus requisitum ex parte ipsius excommunicati, quo posito statim ipso iure auferretur excommunicatio, maxime esset recessus à contumacia, & condigna satisfactio, quæ ab excommunicato exigipotest: sed hoc totum non sufficit, vt excommunicatio ipso facto tollatur: ergo nunquam potest ipso iure tolli. Maior communis est absque dissensione; & est per se euident, nam excommunicatio non fertur vsque ad præfixum tempus, vt per lapsum temporis possit ipso iure cessare, nec fertur sub aliqua alia conditione, vt ea expleta cessare existimetur, sed fertur, vt à contumacia discedatur, iuxta illud: *Tradidit illum hominem Satan in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fiat*: & ideo vel virtute, vel expresse continet hanc determinationem seu conditionem, *Donec satisfacias, vel, Nisi resipiscas*, si ergo aliqua est conditio, vel operatio, qua posita videri posset excommunicatio ipso iure cessare, maxime est hæc proxime dicta. Iam vero probatur minor ex c. *Anobis*, 2. de Sent. excom. vbi si quis excommunicatus moriatur ante absolutionem, quantumvis per veram poenitentiam conuertatur, & satisfactionem sufficientem, vel faciat, vel promittat adhibita sufficienti cautione, non propterea apud Ecclesiam existimatur simpliciter liber à vinculo excommunicationis. Itē ex iuribus supra citatis, & aliis similibus, in quibus absoluedus dicitur, qui vel satisfecit, vel illud opus impleuit, ob quod exigendum ab illo excommunicatus est, & ante absolutionem non esse illi communicandum, cap. *Quod in dubiis*, c. *Cū desideres*, c. *Sicut nobis*, de Sent. excom. Clem. 1. de decimis. vbi Glossa, & Doctores. Et hanc esse communem sententiam refert Couarruias cap. *Alma*, p. 1. §. 11. num. 5.

1. Cor. 5.

Glossa
Couarr.

An excom-
municatus
sub ea con-
ditione, de-

Nihilominus contra hanc sententiam opinatur ibidem Couarruias in eo casu, in quo aliquis excommunicatur sub ea conditione, *Donec satisfacias, vel Donec resituas*, secutus Alciatum in c. 1. de Elect.

in 6. notab. 5. Quorum fundamentum præcipuum est, quia omnis lex vel prohibitio posita quamdiu talis conditio durauerit: cessante illa conditione, ipso iure cessat: sed excommunicatio lata sub illa forma habet vim prohibitionis conditionatæ prædicto modo; ergo cessante conditione cessat. Confirmatur primo, quia poena sic imposita similis seu proportionalis est illi, quæ ponitur vsque ad præfixum terminum: nam parum refert quod talis terminus præfigatur per certi temporis limitem, aut per aliud conditionis genus: sed poena, quæ imponitur ad tempus determinatum, cessat adueniente termino illius temporis: ergo similiter, &c. Confirmatur secundo, nam ob similes rationes suspensio sub illa forma lata, vt communiter censetur, impleta conditione per se tollitur: & idem multi censent de interdicto.

Sed nihilominus hæc sententia probanda non est, vt generatim supra probati disp. 7. Et in primis non video cur dicti autores distinguant de excommunicatione lata simpliciter, vel sub ea conditione, *Donec resituas*, &c. Nam, etsi illa conditio expresse non ponatur æquivalens semper includitur, vt declaratum est ex eo, quod excommunicatio tollenda est, cum primum à contumacia receditur: conditio autem virtute inclusa idem operatur, quod expresse addita. Vel igitur dicti auctores de omni excommunicatione id dicere debent: quod tamen est contra expressa iura superius adducta, vel non possunt id probabiliter, & cum fundamento dicere de aliqua excommunicatione. Est ergo aduertendum excommunicationem ferri posse sub conditione, v.g. *Nisi intra talem terminum satisfeceris, vel resitueris*, & rursus sub illa, *Excommunicatus sis Donec satisfacias vel resituas*. Quando fertur priori modo, si conditio expleatur ante elapsum terminum, clarum est non esse necessariam absolutionem, quia excommunicatio nunquam contracta fuit, & ita dici potest per se ablata, vel potius impedita ex defectu non implete conditionis, vel contumacia non habitæ, sub qua, seu pro qua lata fuerat. Quando vero fertur posteriori modo, & supponitur re vera contracta excommunicatio, tunc dicimus per se non cessare ob satisfactionem vel restitutionem factam, aut aliam similem conditionem impletam: quia sensus illius conditionis non est vt excommunicatio ita durer vsque ad illam conditionem expletam, vt tunc statim per se tollatur, sed ita vt ante illam conditionem impletam non tollatur, postea vero tolli debeat, non vero, ipso facto, sed per absolutionem. Quod enim hoc sensu institui, & ferri potuerit, per se notum videtur. Sicut si diceremus peccata in Ecclesia non remitti, donec aliquis confiteatur, non est sensus facta confessione per se tolli peccatum, sed per absolutionem sacerdotis, quæ dari non potest ante illam conditionem impletam. Ita ergo similis locutio de excommunicatione intelligenda est. Nam quod hæc sit intentio cuiuscunque legis, vel sententiæ, in qua excommunicatio sub illa forma feratur, facile intelligi potest ex institutione talis censuræ seu ex aliis iuribus, quæ satis declarant excommunicationem sub tali ratione esse ab Ecclesia institutam, vt per solam operationem eius qui excommunicatus est, non auferatur.

Ex his ergo satis responsum est ad fundamentum oppositæ sententiæ. solum enim procedebat ex falsa intelligentia prædictæ conditionis, & ex eodē principio procedit prima confirmatio, & ideo neganda est similitudo, nisi terminus durationis, aut temporis in eodem sensu apponatur: scilicet vt ante illum non auferatur poena; illo autem expleto auferatur, non per se, sed per auctoritatem superioris. Hic autem sensus (& in hoc est discrimen) generatim loquendo, non cadit in eam quæ est pure poena ob delictum commissum, quādo illa pro limitato tempore fertur, nam si aliter specialiter non explicetur, tanta

Satis sit
fundamentum
prioris sen-
tentie.

Sect. I. Vtrum Excom. per solam absolut. possit auferri. 303

tanta, & non maior poena imponitur: & ideo illa expleta per se cessat. Quod secus est in excommunicatione, quæ poena medicinalis est: & ideo in illa non tam spectatur quantitas durationis, quam modus subiectionis ad Ecclesiam: ideoque ita instituta est, vt semper inhæreat, donec per ipsam Ecclesiam auferatur. Quare certus illi non præfigitur temporis terminus, adeo, vt conditio illa, *Donec satisfacta, vel restituta, &c.* non sit ita necessaria, quin si per superiorem antea excommunicatio tollatur, re vera ablata non sit. Quid vero de suspensione, & interdicto in simili puncto dicendum sit, quod in secunda confirmatione illius sententiæ attingebatur, infra suis locis videbimus.

Excommunicationem per solam absolutionem tolli.

Quarto ex dictis concluditur propofitæ questionis responfo, nimirum excommunicationem & per absolutionem tolli posse, & per solam illam. Hæc assertio, iuxta supra dicta disput. 7. sect. 1. potest intelligi vel de absolutione in genere, abstrahendo de absolutione à iure, & ab homine; & sic est per se nota, vt ex dicendis patebit; vel potest intelligi de absolutione ab homine; & sic etiam est vera, loquendo de ordinario iure. Quam docent Theologi in 4. distinct. 18. & Summistæ verb. *Excommunicatio*, & verb. *Absolutio*, & Canonistæ super iura citata in puncto præcedenti, & specialiter Abbas in cap. ultimo de Matrimonio contracto contra interdictum Eccles. & in ca. 1. de Iudiciis, vbi etiam Felinus, qui alios refert. Et vtræque pars probatur facile ex dictis, quia excommunicatio auferri potest: & non per solam actionem ipsius excommunicati, vt probatum est: ergo per actionem alterius habentis potestatem ad tollendam illam, consecutio tenet à sufficienti diuisione. Præsertim quia excommunicatio non auferitur per accidens ad ablationem alterius, cum ostensum sit nullam esse aliam conditionem, aut quasi extrinsecum terminum, à quo pendeat: & de ipso etiam subiecto sit dictum, præter communem naturam accidentis hoc quodammodo in ea inueniri, vt destructo subiecto, non omnino statim destruat: vel quia manent corpus & anima, circa quæ (etiā si diuincta sint) potest aliquo modo obseruari, vel potius quia manent alij fideles viuentes, qui seruare possunt talem censuram, & ad hoc obligantur, quandiu alter, qui excommunicatus erat, non absoluitur.

Quod autem hæc actio, per quam ab alio est excommunicatio tollenda, sit absolutio, constat ex forma, qua Ecclesia vitur ad hanc censuram tollendam, quæ est: *Absolutio te à tali vinculo, &c.* vt videbimus. Constat item ex communi modo loquendi canonum & auctorum, nam sub nomine absolutionis de hac actione loquuntur. Constat præterea ex materia circa quæ, seu obiecto huius actionis, quod est ipsamet excommunicatio, quæ est spirituale quoddam vinculum, quo ligatur is, qui excommunicatus est: & ab illo liberatur per illam actionem. Merito ergo absolutio dicitur, & est quasi talis vinculi solutio, iuxta Christi Domini verba: *Quodcumque ligaueritis, & Quodcumque solueritis.* Denique explicatur in hunc modum, quia illa actio vel est dispensatio, vel absolutio: quid enim aliud esse potest moralis actio, quæ vinculum seu obligationem tollit? Non potest autem proprie dici dispensatio, quia dispensatio vel supponit generalem obligationem, & solum in aliquo particulari illam tollit, vel est quasi exceptio à generali aliqua lege, aut si per eam tollatur aliqua inhabilitas, illa talis est, vt arbitrio superioris tollatur per solam extrinsecam concessionem. At vero hæc actio per quam censura tolli-

Fr. Suarez tom. 5.

tur, non est exemptio aliqua à communi lege, neque est veluti licentia aliqua, aut facultas extraordinarie concessa ex principis seu superioris voluntate, sed est liberatio ab Ecclesiastico vinculo, quo talis persona in particulari ligatur: sique, vel saltem fieri postulat, non præter, sed secundum legem, nec solum ex voluntate concedentis, sed secundum dispositionem, & statum eius cui conceditur, cui propterea est quodammodo debita: & ideo non per modum dispensationis, sed per modum sententiæ datur: sententiæ (inquam) liberantis aliquem à tali vinculo: ergo propriissime absolutio dicitur. Igitur excommunicatio per absolutionem, & non alio modo tollitur.

Dixi, loquendo de ordinario iure, quia Pontifex Summus de absoluta potestate, si velit, potest ita aliquem excommunicare, donec talem vel talem conditionem impleat, vt, ea impleta, ipso iure liber ab excommunicatione maneat. Si enim hoc in ipsa sententia, aut lege satis declararet, haberet effectum, cum totum hoc ius ex eius voluntate penderet. Item alio modo posset hoc facere Pontifex, reuocando legem, ex vi cuius aliquis excommunicationem incurreret: nam si ita illam reuocet, vt velit pro infecta haberi, hoc ipso tollitur excommunicatio, neque erit necessaria alia absolutio, vt expresse docet Glossa in Clem. vnica de Immunitate Ecclesiarum, verb. *Pro infectu*, quam ibi alij interpretes sequuntur, & Abbas in cap. *Per venerabilem*. Qui filij sint legitimi, n. 22. Felinus, Decius, & alij in c. 1. de Iudiciis, & Sylu. verb. *Absolutio*, n. 8. Ratio est, quia Summus Pontifex est supràius posituum: & ideo potest ipso iure, vel sententia absolutionem ferre sub conditione in futurum pendente, qua expleta transibit in absolutam, & habebit suum effectum, neque erit alia necessaria. Et similiter in altero casu tollendo legem priorem potest generaliter reuocare quidquid ex vi illius effectum est, & consequenter ipso iure reuocat, & tollit excommunicationem, quæ virtute prioris legis facta erat. Oportet tamen vt hic modus reuocationis prioris legis sufficienter in posteriori lege exprimat: nam sola ablatio prioris legis non satis est vt excommunicatio ex vi legis incurfa ablata censetur vt per se manifestum est: quia effectus factus à lege, non ita pendet ab ea, vt illa ablata auferatur: quia tamen Pontifex habet potestatem non solum auferendi legem, sed etiam omnes effectus morales, qui virtute eius facti fuerant; quorum vnus solet esse excommunicatio, ideo, si talis reuocatio fiat, illa includit absolutionem à priori excommunicatione, talis fuisse videtur in dicta Clementina vnica in illis verbis, *Constitutionem, & declarationem, seu declarationes prædictas, & quidquid ex eis secutum est, vel ob eas, penitus reuocamus, & eas haberi volumus pro infectis.*

Aliis vero inferioribus prælatis licitum non est his modis vt ad censuras tollendas, quia tenentur ius commune, & modum in illo præscriptum seruare: vnde si in suis sententiis ferendis, & reuocandis, velint illis modis vt, male facient, tamen dubitari potest an factum teneat. De quo possent aliqua in vtramque partem obici, mihi tamen videtur factum tenere. Quia licet forma absoluedi à censura, sit in iure præscripta, non tamen sub ea necessitate vt aliter facta non teneat, vt mox videbimus: ergo ex vi illius formæ non fit irritum factum illud. Neque etiam assignari potest aliud speciale ius, per quod irritum fiat: nam alia iura quæ dicunt excommunicatum semper manere excommunicatum donec absoluitur, quantumuis respiciat, non sunt contraria, quia in prædictis casibus aliqua absolutio, quamuis extraordinario modo conceditur: quæ absolutio per iura illa non irritatur.

(?)

Cc 2

SE-

Pontifex de absoluta potestate alio modo quam per absolutionem potest excommunicatio tolli.

Glossa.

Abbas: Felinus: Decius: Syluest.

inferiores Prælati solum per absolutionem possunt licite excommunicatio tollere. Si autem alio modo solatur, factum tenet.

SECTIO II.

De Causis ad absolutionem ab excommunicatione necessariis.



E effectibus huius absolutionis nihil dicere necesse est, quia sicut priuatio per habitum cognoscitur, ita cognita excommunicatione, & effectibus eius satis constat quid hæc absolutio operetur. Nam effectus adæquatus, & quasi formalis eius est excommunicationem auferre, & consequenter omnes etiam effectus excommunicationis reuocare, nimirum ut à tempore ipsius absolutionis iam locum non habeant: nam qui præceperunt, non reuocantur, aut quasi restituuntur propter solam absolutionem subsequentem: quia fuerunt iuste poenæ executioni mandata, quæ perpetuæ manent, ut in superioribus locis suis annotauimus.

Quæ ab excommunicatione iuris non reuocantur, ea possit absolvere.

Omissis ergo effectibus, de causis, longanobis futura esset disputatio, nisi in disp. 7. sect. 2. & sequentibus ferè tradita esset: & ideo breuiter per singulas causas discurremus. Quod ergo attinet ad efficientem causam, distinguendum est de excommunicatione lata à iure, vel ab homine. Item de reueruata, vel non reueruata. Nam ab excommunicatione lata, & non reueruata à iure, absolvere potest quilibet ordinarius pastor, seu sacerdos proprius vel qui ex commissione proprii confessoris munus sustinere potest, iuxta c. Nuper, de Sent. excom. & quæ circa illud notauimus dicto loco. Potest tamen quispiam nobis obijcere ex dictis disputatione præcedente, proprium sacerdotem inferiorem non habere potestatem absoluedi, nam iuxta principia iuris, nemo qui condemnare non potest, absolvere potest, ut dicitur in regul. 28. ff. de reg. iuris. Dicendum vero est, id verum esse de eo, qui per potestatem quasi intrinsecam & ordinariam absolvere potest: ex commissione vero superioris interdum posse absolvere qui non potest condemnare; atque ita contingere in præfenti ex vi illius c. Nuper, Et ideo hæc potestas inferioris non extenditur ad excommunicationem à legislatore reueruatam, quia per reueruationem declaratur ei non concedi potestatem à superiori, sed potius tolli, ex eodem c. Nuper. Hic verò statim sese offerebat questio an talis potestas existens in Parocho dicenda sit ordinaria, vel delegata: eam vero in prædicto loco satis explicatam relinquimus.

Quis possit ab excommunicatione ab homine lata absolvere.

DE excommunicatione autem lata ab homine dicendum est, eum à quo lata est, posse eam tollere, nisi superiore eam sibi reueruet, qui potest semper non solum ab eadem absolvere, sed etiam sibi reueruare. Inferior verò id non potest, nisi ex privilegio, vel alio speciali modo ei committatur. Tota hæc assertio latè etiam tractata est in citato loco. Et prima quidem pars constat ex illo principio, quod potestas absoluedi coniuncta est cum potestate ligandi, ut ex verbis Christi ponderauit Ambrosius lib. 2. de Cain, & Abel. c. 4. relatus in c. Verbù, de pecc. nit. d. 1. Quod maximè intelligitur per se loquendo, & de potestate ordinaria, quæ primario ad absoluedum datur potius, quam ad ligandum: per commissionem autem vel ordinationem superioris potest interdum quis habere potestatem ligandi, & non soluendi, sed hæc est exceptio à generali regula, & raro contingit, ut statim dicam.

Ambros.

Altera vero pars, nimirum quod superior possit etiam ab hac excommunicatione absolvere, constat, quia habet superiorem iurisdictionem & est veluti vniuersalior causa, quæ per se potest quidquid potest particularis. Quis autem nomine superioris intelligendus sit, & quem modum iurisdictionis habere debeat, citato loco late declarauimus. Ex hoc autem

Superior potest ab excommunicatione inferiori absolvere.

A principio oritur aliquando, ut superior sibi reueruet absolutionem ab excommunicatione ab inferiore lata. Quod dupliciter contingere potest. Primo quando superior in particulari ex certa scientia confirmat sententiam, & excommunicationem latam ab inferiore, quod specialiter de S. Pontifice affirmant Ioann. Andr. & alij Canonistæ in c. Ex frequentibus, de Instit. quos refert, & sequitur Nau. in Summ. c. 27. n. 40. & in citato loco nos idem diximus. Nunc vero addimus idem proportionaliter habere locum in aliis superioribus habentibus sufficientem iurisdictionem ad ferendam sententiam, & censuram in tali causa: nam hoc ipso quod ex certa scientia confirmat superior sententiam ab inferiore illam, eam facit suam, & ideo nullus inferior potest illam tollere. Secundo hoc potest accidere, si generali lege statuat superior ut excommunicatio lata pro tali delicto, etiam si ab inferiore lata sit, sibi maneat reueruata: nam est eadem ratio: nihil enim refert, quod talis reueruatio per generale legem fiat, aut in singulari facto.

Secundum.

Exemplum autem huius rei: vulgare, & fortasse etiam singulare est de incendiariis, qui licet non sint ipso iure Pontifici excommunicati, tamen postquam ab Episcopo nominatim excommunicantur, non possunt ab illo absolui, sed excommunicatio illa S. Pontifici reueruata manet, iuxta cap. Tua nos, de Sen. excom. Quod ita exponunt Caieta. in Sum. c. 22. de Excom. Soto in 4. d. 22. q. 2. art. 3. Nau. dist. c. 27. nu. 40. At quia satis declarata est tota prior pars propositionis regulæ. Inde vero facile altera deducitur, nam inferior per se non habet iurisdictionem in actum vel sententiam superioris, neque iure communi illi committitur, nam c. Nuper, solum loquitur de excommunicationibus à iure latis, non vero ab homine, neque de his aliud simile ius inuenitur: ergo inferior absolvere non potest ab hac excommunicatione sine commissione ab homine facta: Quod autem cum illa possit, etiam est clarum. Nam iurisdicção delegata ad absoluedum sufficit, eam vero delegare potest qui ordinariam habet, siue sit ipsemet qui excommunicationem tulit, siue eius superior. Quæ omnia constant ex superioribus dictis, & sumi possunt ex c. Pastoralis, de officio ordinarij, & c. Sauto, & ca. per uas, de Sent. excom. & ex comuni usu, & omni doctrina.

Exemplum.

Caieta. Soto. Nauar.

Inferior non potest absolvere ab excommunicatione ab homine lata.

Hic vero occurrebat plures quæstiones. Vna est, sub qua regula ex prædictis comprehendatur excommunicatio lata ab homine per sententiam generale, an scilicet reducenda sit ad excommunicationes iuris propter generalitatem suam, an vero inter latis ab homine debeat computari: eo quod, cum per eam sententiam ius non condatur, vere ac proprie sit ab homine. Quam quæstionem latè disputauimus citato loco. Et resolutio fuit posteriorem partem videri veram in rigore iuris: priorem autem esse practice probabilem, & communi opinione, & usu receptam. Alia quæstio erat de potestate absoluedi ab excom. commissa per privilegia, aut diplomata Pontificia, quantalata sit, & quo modo ea sit vrendum. Rursus est alia quæstio de potestate absoluedi ab excom. in extrema necessitate: qui scilicet illam habeant, & quo modo ea uti debeant. Item queri potest de conditionibus requisitis ex parte absoluentis, videlicet quod sit clericus, & iurisdictionem habeat non lupsensam, neque impeditam, & quod libere ac voluntarie illa utatur. Sed hæc omnia, & similia tractata sunt dict. disp. 7. sect. 1. & 2. nihilque speciale habent in hac censura; & ideo nihil occurrit hoc loco addendum.

Variæ quæstiones tractatæ.

Occurrebat statim dicendum de materia, & fine huius absolutionis. Sed materia remota, seu quasi subiectiua eius est ipse homo, qui absoluitur. De quo potissima quæstio est an etiam post mortem absolui possit. Dicendum vero est ita posse post mortem absolui, sicut & excommunicari, scilicet potius ex parte aliorum, quam ipsius. De qua relate dictum est supra. An vero ex parte eius qui absoluitur, requiratur, præ-

De causa materialis remota ab absolutione.

presentia, consensus, aut alię conditiones similes in dict. sect. 2. disp. 8. in posteriori parte eius actum est. Materia vero proxima & circa quam huius absolutionis, est ipsamet excommunicatio, quę per illam tollitur. Vnde hic etiam est finis eius quasi intrinsecus, scilicet censurę expellere. Quare cū hic finis per se bonus sit, & expectabilis, nō indiget absolutio alio fine extrinsecus, quanquā interdū illum habere possit, vt datur interdum absolutio ad talē, vel talē effectū. De qua absolutione quari posset qualis sit, & quomodo ab absolutione simpliciter, & absolute concessa differat. Itē an hac absolutio requirat intrinsecum finē iustum, vel possit esse valida, etiam si iniusta sit. Verū quę de censura in cōmuni tractauimus, ad hanc eodem prorsus modo applicanda sunt.

De causa formalis absolutionis ab excomm.

8. **S**olus ergo circa formam ferēdi hanc absolutionem aliquid desiderari potest. In qua possunt quędam considerari ad substantiam alia, ad solennitatē accidentalem pertinentia. De substantia solum sunt ea verba, quę propriū effectum huius absolutionis sufficienter significant, qui est excommunicationem tollere, & cōmunioni fidelīū separatum hominem restituere. Vnde est cōmune axioma, hanc formam nō postulare verba omnino determinata, sed illa quę ad predictam significationē sufficiant, vt ex Anton. Rich. & aliis notauit Cou. in c. Alma mater, 1. p. §. 11. n. 7. & Nau. in Com. de Iubil. notab. 30. n. 9. Sollet autem à Doctoribus communiter hac forma assignari, *absolutio te à vinculo maioris excommunicationis ob talem causam, & restituo te sacramētū Ecclesię, & cōmunioni fidelium in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quę verba vlturpari quidem possunt, & acceptari vt congrua, nō quod omnia necessaria sint. Nam in primis inuocatio illa Trinitatis non est de necessitate, vt per se constat, cū nec de ratione sacramentalis absolutionis sit. Deinde tota illa pars, *& restituo te, &c.* quamuis effectum absolutionis magis explicare videatur, necessaria tamen non est, quia in presenti, absolute, & restituere non sunt duo; neq. n. absolutio aliter restituit hominem ad sacramentorum, participationē, & cōmunionem fidelium, quā tollēdo vinculum; neq. alia quasi positiua actio aliquid conferēs necessaria est, sed ablato vinculo, homo fidelis per se habet ins communicandi, & participandi sacramenta fidelīū. Deinde per se loquendo, necessarium non est causam, ob quam excommunicatio incurta fuit, in absolutione exprimere; quia illa nō per se spectat ad effectum ipsius absolutionis, vt de censura etiam in cōmuni diximus, & in specie tractauit Nauar. c. 26. n. 8. & 9. cū Sylu. ver. Absolutio, §. q. 2. Et maxime, quia dicendo, *Ab excommunicatione quā incurristi, satis determinat censuram* à qua absolutus, & ibi implicite cōplectitur causam.

9. **S**olum oportet aduertere an pōnitens sit ligatus pluribus excommunicationibus, nam tunc, si absolutio fiat ab omnib. oportet id intendere, supposita potestate, & aliquo modo verbis exprimere, saltem illis generalibus. *Ab omni vinculo excommunicationis: vel certe indefinitis, quę in his rebus æquivalent vniuersalibus, vt sape dixi, quāuis ad tollendum dubiū melius sit semper addere signum distribuēs.* Si vero abvna tantum excommunicatione absolutus, & nō ab alia (quod fieri posse supra ostendimus de censur. in cōmuni) necessarium erit, vt & intentionē suam determinet ad eam excommunicationem quam auferre vult, & vt eam determinationē verbis aliquo modo explicet. Vnde nisi ex adiunctis, vel ex antecedentibus, & consequentibus id constet, optime fiet explicando causam censurę. Quocirca illa cōmunis forma aptissima est, meritoq. vsu retinenda. Aliqui etiam premittunt illa verba *Autoritate Dei omnipotentis, & potestate mihi concessa, vel æquivalente, quod etiam seruari potest, quamuis necessarium non sit.*

Circa solennitatem accidentalem quatuor præci-

Fr. Suarez tom. 5.

A pue ceremonie numerari solent. Prima est, vt ab excommunicato iuramentum postuletur parendi de cetero mandatis Ecclesię, ex c. Ex tenore, & c. De cetero, de Sent. excom. notat Nau. in Sum. c. 25. n. 7. & de pen. d. 6. c. 1. in prin. n. 54. Sed non est intelligendum, necessarium esse iuramentum generale de seruandis Ecclesię præceptis, quia neque in illis iuribus hoc dicitur, neq. esset expediens hoc nouū vinculum, & obligationem communiter hominibus ponere: sed ad summum potest esse hoc iuramentū de obediendo Ecclesię in illa materia, vt v. g. si excommunicatio fuit à iure, vt iuramentum sit de nō transgrediendo legem ob cuius violationem excommunicatus mansit. Hoc enim aperte significatur in illo c. Ex tenore, nam prius dicitur, *Recepto ab egiuramento quod tuo debeat mandato parere, & infra subditur, Sibi que in virtute iuramenti præcipies, ne de cetero in clericum manus iniicias, &c.* Simile habetur in c. Pessimam, 23. q. 8. & in c. Grauem, de Sent. excom. vbi etiam significatur, aliquando iuxta rei exigentiam possē maiorem cautionem postulari, vt similia de cetero non committantur. Addit vero Caiet. in Sum. ver. Absolutio, hoc iuramentum quoad hanc partem nō semper, sed in magnis criminibus locum haberet. Quod mihi quidem placet, quia ex dictis iuribus nihil amplius colligi potest; loquuntur enim de incendiariis, & manifestis percussoribus clericorū. Rursus si tale fuerit delictum, ob quod excommunicatio lata fuit, vt specialem satisfactionem requirāt, & illa nondum sit exhibita, neq. alia sufficiens cautio de illa implenda data sit, tunc etiam est iuramentum exigendum de satisfactione exhibenda. Quamquam si excommunicatio sit ob offensam notoriā, prius debeat satisfactio postulari, si exhiberi potest, iuxta c. Venerabilibus, §. Porro, de Sent. excom. in 6. & c. Ex parte, 1. de Verb. signif. & notant Decius, & alij Doctores in c. Qua fronte, de App. An vero hac præuia satisfactio, vel iuramentum eius aliquando sit de substantia absolutionis, eiusque valore supra tractatum est de censuris in cōmuni.

Secunda ceremonia est, vt sacerdos, priusquam absoluat, Psalmum aliquem pōnitentię super absoluendum recitet. Sic enim habetur in c. A nobis, 2. de Sent. excom. & frequēter dici solet Psalm. 50. qui est quartus pōnitentię. Sed, vt Nauar. notat in illo textu non designatur ille in particulari, & ideo quilibet ex septem sufficit, licet ille sit aptissimus. Addunt vero Doctores absoluentem debere esse indutum aliqua veste sacra, saltem superpellicio, & chola; quod est in publica, & solēni absolutione consuetū, non vero in priuata. Et ex parte pōnitentis requirunt vt sit genu flexo, capulis nudatis, & dum Psalmus recitatur, flagello percutiatur: quod nullo iure scripto cautum est, sed consuetudine receptum esse Doctores dicunt cum Holtiensī in Summa n. 14. & Antonin. 3. p. tit. 24. c. 77. §. Addit vero Nauar. in absolutione scēminę omittendum hoc esse, & ob iustū alium respectum omitti posse in quacūq. absolutione. Et Caiet. ver. Absolutio, ait: Omittendum esse in locis publicis, quando absolutio excommunicationis ex confessione secreta oritur, quia alias & reuelaretur confessio, & infamaretur pōnitens.

Tertia ceremonia additur in dicto c. A nobis, 2. scilicet vt, finito Psalmo, oratio Dominica recitetur, q. facile est, neq. aliam explicationem requirit. Subiungitur vero ibidem, vt etiam seruentur alia cōsuetudina: hæc a. dicitur esse (& potest esse quarta ceremonia) quidam versiculi, scilicet, *Saluum fac seruū tuum, &c.* cum oratione, *Deus cui proprium est, &c.* argum. c. Cū aliquis, 11. q. 3. Ex quo aliqui colligunt debere absoluentem finita absolutionis forma introducere absolutum in Ecclesiā. Sed non constat illam ceremoniam esse in vsu, licet sit apta ad effectum huius explicandum. Neque in dicto cap. significatur post absolutionem introducendum esse eum, qui

Ec 3

excom-

Alix.

13
Sub qua ob-
ligatione
seruanda
sint ha care-
monia.

excommunicatus erat, in Ecclesiam, sed excommuni-
catum petentem veniam ad ianuam Ecclesiae, in
illam introducendam esse cum recitatione Psalmi
penitentiae, ut ibi absoluitur. Vnde Abbas in
c. Cum desideres, de Sent. excom. n. 6. inquit, Praefito
iuramento de parendo mandatis Ecclesiae, introducat in
Ecclesiam cum Psalmo penitentiali, &c.

De his ergo caeremoniis omnes auctores docent
non esse de substantia huius formae, sed validam ef-
fectum si omittantur, ut patet ex Sylvestro, Ange-
lo, Caietano, & aliis Summistis, Nauarro c. 26. nu. 8.
& dict. c. 1. de penit. d. 6. n. 54. & Couarr. c. Alma. p. 1.
§. 11. n. 11. Addunt vero teneri in conscientia sacer-
dotem qui absoluit, eas non omittere. Non tantum
in publica absolutione, sed etiam in occulta, quan-
tum ad ea quae commode fieri possunt. Et intelli-
gunt, quando excommunicatio iusta fuit, & abso-
lutio simpliciter datur; nam si excommunicatio fuit
iniusta, vel si solum datur absolutio ad certum effe-
ctum, vel si solum est absolutio ad cautelam, ex om-
nium sententia non est necesse caeremonias adhi-
bere. Et idem dicunt, si absolvens non sit sacerdos,
quia illa solennitas videtur propria sacerdotalis
muneris. Denique si necessitas urgeat, vel alia ratio-
nabilis causa intercedat. Sine illa vero aiunt non o-
mitteri has caeremonias absque culpa. Quod verum erit
prudenter consideratis circumstantiis, & con-
suetudine, quae in hoc magnam vim habere potest,
& secluso contemptu & scandalo non existimo pos-
se hic interuenire peccatum mortale ob aliquam om-
missionem, quia res non est adeo grauis, nisi fortas-
se, quando publica & solennis absolutio danda ef-
ferat ad Ecclesiae satisfactionem.

DISPUTATIO XX.

De nonnullis excommunicationibus in particulari,
quae ab homine ferri solent.



BS OTIVMVS ea quae ad genera-
lem doctrinam de excommuni-
catione maiori pertinent. Ex
quibus definienda sunt omnia,
quae in singulis seu particularibus excom-
municationibus desiderari possunt. Qua-
propter non sine apparenti ratione possu-
mus hanc partem praetermittere, praeter-
tim cum scientia ad indiuidua non descen-
dat, eo quod sint quasi per accidens, & in
infinitum multiplicari possint. Quod sane
in excommunicationibus ferendis, praeter-
tim ab homine, ipso usu satis constat. Nihil
ominus tamen, quoniam materia moralis
vtior est applicata ad particularia, saltem
ad aliqua, ideo de nonnullis excommuni-
cationibus praecipuis, & quarum cognitio
in praxi magis necessaria est, dicendum ef-
se censuimus. Est autem excommunicatio
vel ab homine, vel à iure. De priori dice-
mus breuiter in hac disputatione, de alia,
quae fusior est, in sequentibus. Excommu-
nicatio item ab homine frequenter est cō-
tra determinatam personam in particulari
causa. Et de hac vel indiuiduis eius nihil
possumus dicere, quia est res infinita, & nul-
lis principiis comprehendere potest, praeter
ea quae generaliter tradita sunt, & sufficiunt
ad singulos casus definiendos. Alia item ex-
communicatio ab homine, quae generalius

A fertur ad aliquid praecipuum, vel vitan-
dum, diciturque generalis sententia, in mul-
tis aequiparatur statuto seu legi, licet in aliis
differat, ut in superioribus declaratum est:
hæc (inquam) excommunicatio etiam ferri
potest propter varias causas, vel actiones,
quae possunt in infinitum multiplicari, so-
lumque materialiter differunt in ordine ad
talem censuram. Ac propterea etiam in his,
nec necessarium est, nec possibile per om-
nia indiuidua discurrere. Duo tamen sunt
ordinarii casus, quibus solent conscientiae
implicari, scilicet de excommunicationibus
quae ferri solent ad restitutiones facien-
das seu soluenda debita, seu propter debita
non soluta, & de iis quae feruntur ad denun-
cianda crimina, aut alia secreta reuelanda,
& ad ferendum testimonium, vel proden-
das scripturas, &c. Et ideo de iis duabus in
particulari dicere visum est.

SECTIO I.

Virum Iudices Ecclesiastici licite & valide possint
pro causis temporalibus excommunicare, ferre.



Ratio dubitandi est, quia excommu-
nicatio est spiritualis poena & medi-
cina: ergo ad curationem animae ad-
hibenda est, & non ad temporalia
incommoda refarcienda: nam hæc
cura vindicandi, aut refarciendi temporales iniu-
rias ad civilem potestatem per se spectat: ergo non
possunt iudices Ecclesiastici hoc titulo assumere
gladium spirituale. Et confirmatur, quia alias li-
citur hoc modo excommunicationem ferre
contra personam certam, & cognitam, ut contra
Petrum, de quo constat furatum esse hanc vel illam
rem, nisi illam restituat: consequens autem est con-
tra communem usum. Sequela patet, quia non est
maior ratio, quando persona incerta est quam cum
est certa. In contrarium vero est usus Ecclesie feren-
di hanc censuram ad hos fines, scilicet ut restituatur
ablata, soluantur debita, reuelentur occulta, &
similes qui temporales sunt.

Suppono primo non esse per se malum, neque ex-
tra Ecclesiasticam potestatem ferre hanc censuram
eam ordinando aliquo modo ad praedictos fines. *Non est ex-
tra Ecclesiasticam potestatem ferre hanc censuram, se malum
pro tempore, valens ex-
com. ferri.*
Hoc certissimum est: nam si hoc esset vel per se ma-
lum, vel extra Ecclesiasticam potestatem, esset in
Ecclesia grauissimus quidam error in re ad mores
pertinente: quod impossibile est. Deinde hoc colli-
gitur ex Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de Reform. ubi & re-
fert hanc consuetudinem esse in Ecclesia ferendi
excommunicationem monitionibus praemisissis ad *Conc. Trid.*
finem reuelationis (ut aiunt) aut pro deperditis, seu subtra-
ctis rebus: & eam consuetudinem supponit honestam,
& iustam esse, sobrie tamen, & magna circum-
spectione esse exercendam. Quapropter adhibitis
quibusdam circumstantiis idem Concilium eam moderatur.
Prima est, ut à nemine prorsus praeterquam *Primus*
ab Episcopo tales excommunicationes decernan-
tur. Existimo autem nomine Episcopi comprehendere
etiam Vicarium generalem Episcopi: nam quoties
aliquid Episcopo conceditur, & non exprimitur, ut
per se, & non per alium faciat, intelligitur etiam per
Vicarium posse id efficere: ut in superioribus tactum
est, licet enim vnum & idem censetur esse tribunal,
eademque iurisdictio Vicarij, & Episcopi, iuxta c. 2.
de consuetud. in 6. Imo existimo sub ea voce com-
prehendendos esse Abbates: vel alios praelatos ex-
ptos,